

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Rituale Sive Obsequiale Ecclesiae Et Dioecesis
Constantiensis**

Constantiae, 1686

Ordo sepeliendi parvulos

[urn:nbn:de:bsz:31-132849](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-132849)



ORDO SEPELIENDI
Parvulos.



Um infans vel puer baptizatus ante
usum rationis defunctus fuerit, orne-
tur feretrum coronâ de floribus seu de
herbis aromaticis & odoriferis in signum inte-
gritatis carnis & virginitatis, & Parochus con-
sueto campanæ signo dato, superpelliceo, &
stola albi coloris indutus præcedente Cruce ac-
cedat ad domum defuncti cum ministro asper-
sorium cum aqua benedicta, thuribulum, ac
librum hunc ritualement deferente. ubi primò
aspergit corpus, deinde dicit:

Ant. Sit nomen Domini.

Psalmus 112.

Laudate pueri Dominum: * laudate no-
men Domini.

Sit nomen Domini benedictum, * ex hoc
nunc & usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occasum, * lauda-
bile nomen Domini.

Pp 2

Ex-

Excelſus ſuper omnes Gentes Dominus, *
& ſuper cælos gloria ejus.

Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in
altis habitat, * & humilia respicit in cælo &
in terra ?

Suſcitans à terra inopem, * & de ſterco-
re erigens pauperem :

Ut collocet eum cum principibus, * cum
principibus populi ſui.

Qui habitare facit ſterilem in domo, *
matrem filiorum lætantem.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Ant. Sit nomen Domini benedictum, ex
hoc nunc, & uſque in ſæculum.

Postea dicitur Kyrie eleison. **C**hris-
te eleiſon. **K**yrie eleiſon. **P**ater noſter. **ſecreto.** **ŷ.** Et
ne nos inducas in tentationem. **ŷ.** Sed libera
nos à malo. **ŷ.** Me autem propter innocentiam
ſuſcepisti. **ŷ.** Et confirmasti me in conſpectu
tuo in æternum. **ŷ.** Dominus vobiscum. **ŷ.**
Et cum ſpiritu tuo. **O**remus.

Omnipotens & miſſime Deus, qui om-
nibus parvulis renatis fonte Baptiſmatis,

dum

dum migrant à sæculo, sine ullis eorum meritis vitam illicò largiris æternam, sicut animæ hujus parvuli hodie credimus te fecisse: fac nos, quæsumus Domine, per intercessionem beatæ Mariæ semper virginis, & omnium Sanctorum tuorum, hîc purificatis tibi mentibus famulari, & in Paradiso cum beatis parvulis perenniter sociari. Per Christum Dominum nostrum. **R.** Amen.

Postea aspergit corpus aquâ benedictâ, & thurificat, nihil dicens, deinde effertur funus Sacerdote ipsum immediate sequente. Interim dum portatur ad sepulturam Sacerdos poterit dicere Psalmum. Beati immaculati &c. vel Psalm. Laudate Dominum de cælis, ut supra fol. 290. cum duobus sequentibus, & in fine Gloria Patri.

Quando ad cæmeterium deventum fuerit Sacerdos dicit:

Antiph. Hic accipiet. Psalmus 23.

Domini est terra & plenitudo ejus; orbis terrarum, & universi, qui habitant in eo.

Quia ipse super maria fundavit eum : * & super flumina præparavit eum.

Quis ascendet in montem Domini ? * aut quis stabit in loco sancto ejus ?

Innocens manibus & mundo corde : * qui non accepit in vano animam suam , nec juravit in dolo proximo suo.

Hic accipiet benedictionem à Domino : * & misericordiam à Deo salutari suo.

Hæc est generatio quærentium eum , * quærentium faciem Dei Iacob.

Attollite portas principes vestras , & elevamini portæ æternales : * & introibit Rex gloriæ.

Quis est iste Rex gloriæ ? * Dominus fortis & potens , Dominus potens in prælio.

Attollite portas principes vestras , & elevamini portæ æternales : * & introibit Rex gloriæ.

Quis est iste Rex gloriæ ? * Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.

Gloria Patri , &c.

Ant. Hic accipiet benedictionem à Domino , & misericordiam à Deo salutari suo ,

quia

quia hæc est generatio quærentium Dominum.

Kyrie eleison. **C**hriste eleison. **K**yrie eleison.

Pater noster. **secretò. V.** Et ne nos inducas in
tentationem. **R.** Sed libera nos à malo. **V.** Si-
nite parvulos venire ad me. **R.** Talium est enim
regnum cœlorum. **V.** Dominus vobiscum. **R.**
Et cum spiritu tuo. **O**remus.

OMnipotens sempiterne Deus, sanctæ pu-
r-ratis amator, qui animam hujus par-
vuli ad cœlorum regnum hodie misericorditer
vocare dignatus es, digneris etiam Domine ita
nobiscum misericorditer agere; ut meritis tuæ
sanctissimæ Passionis, & intercessione beatæ
Mariæ semper Virginis, & omnium Sancto-
rum tuorum, in eodem regno nos cum omni-
bus Sanctis & electis tuis semper facias con-
gaudere. Qui vivis & regnas cum Deo Patre
in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæ-
cula sæculorum. **R.** Amen.

**Deinde Sacerdos corpus aspergat Aquâ
benedictâ, & thurificet, similiter, & tumulum
nilhil dicens, postea sepeliatur, ac Sacerdos cum
Cruce redeat ad Ecclesiam.**

ORDO